



Bernhardus filius fuit Christophori Marchio-
nis Badensis, & Otiliae comitissae Cattimeli-
bocensis. natus est anno 1474. hic cum fratribus o-
mnis generis uirtutibus educatus, postea sese ad
Maximiliani Cæsaris patruelis sui aulam contulit,
atq; armorū exercitia dīdīcit. Itaq; Philippus Ma-
ximiliani filius Bernhardū ob uirtutes plurimū
dilexit, atq; secum in Hispaniam abduxit. In eo lo-
co aliquandiu mansit, atq; res sibi à Maximiliano
& postea Carolo Cæsaribus commissas magna di-
ligentia expediuit. Patre autem Christophero ui-
ta functo, cū fratribus Philippo & Ernesto regio-
nes diuīsīt, atq; ipse Badenīs curiā habuit. Postea
quoq; Franciscam ducissam Lutzelburgensem uxorem duxit, atq; ex ea 22 la-
nuarī anno 1536 Philibertum, deinde Christopherum filios procreauit. Fuit
Bernhardus rerum usu, prudentia, atq; integritate insignis princeps, præte-
rea ueneranda canitie inter Germaniæ principes conspicuuus. Cum etiam Phi-
lippus frater (qui ob plurimas corporis & animi uirtutes in Cæsaris absentia
res maximas Imperij administrarat) sine prole uita functus esset, eius dītio-
nem cum Ernesto fratre diuīsīt, atq; quorundam locorum accessione, suam re-
gionem auxit, tandem uero magno suorum luctu obīt, atq; filios suos succe-
sores habuit. Cum in mea peregrinatione Badenīs anno 1565 in Maio essem,
rerum ibi potiebatur Philibertus eius filius egregius princeps, qui tum annū
tricesimum agebat, atq; ex uxore Mechtilde Bauariae ducissa aliquot iam ma-
gnæ spei liberos procrearat, nimirum Philippum, Jacobam, Anna Mariam, &
Mariam Salome, qui (si Deus eis uitam concesserit) quandoque maio-
rum uestigij insistentes, Germaniam plurimum exorna-
bunt. Anon.